Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36640
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



Thronus eius flamma ignis. Rote eius ignis accensus;
Hii qui animarum custodes sunt. et pascendi gregis
onera susciperunt. mutare loca minime permittuntur;
Sed quia uno in loco positi diuinitatis in se presentia por
tant et ardent: Thronus dei flamma ignis dicitur;
Hii autem qui amore domini in predicatione discurrunt:
Rote eius ignis ardens est. quia cum ex eius desiderio per uaria
loca discurrunt: Unde ipsi ardent. et alios accen
dunt; Potest tamen discursus atque mobilitas spiritus
requisitione alterius considerationis intellegi; In sanctorum
quippe cordibus iuxta quasdam uirtutes semper perma
net. Iuxta quasdam uero recessurus uenit. et uenturus
recedit; In fide et in spe atque caritate et in bonis aliis.
sine quibus ad caelestem patriam non potest peruenire. sicut
humilitas. castitas. iustitia atque misericordia. Perfectorum
corda non deserit. In prophetie uero uirtute. doctrine facun
dia miraculorum exhibitione electis suis aliquando adest.
aliquando subtrahit: Adest ut eleuentur. et semetipsum
subtrahit ut humilientur: Adest ut eos ostensa uirtute
glorificet. recedit ut semetipsos subtracta eius uir
tute cognoscant; Adest ut ostendat quid per ipsum sint.
recedit ut pace faciat quel quales remaneant sine

ipso;